

mulentam reddit, eam videlicet furore afficiens. S. ISIDOR. PELLIS. l. II, epist. 479.

Sicut adamasi confringitur, in minutissima dissilit frusta; ita arcta necessitudo, si quando contingat dirimi, in summam vertitur simultatem, et ex arctissimis fœderibus, si rumpantur, maxima nascuntur dissidia; supra modum incandescent semel victa lenitas. ARIST. *ap Stobæum* 3, 18.

Sicut ruina cum eo, quod oppresserunt, pariter frangitur; sic iratus non tantum alios, quibus irascitur, sed etiam seipsum lædit. STAEL. *lex. VII, in Dom. Passion.*

Sicut vespa semel irritata, non tantum in homines sed saxa etiam impingit, sed sibi potius, dum aculeum lædendo perdit, quam aliis nocet; sic iratus caeco iudicio furens obvios quosque invadit, sed majore suo, quam illorum detrimento. *Ibid.*

Sicut, juxta Hippocratis sententiam, morbus est periculosissimus, in quo egrotus subinde mutat oris habitum, ac sui dissimillimus redditur; ita nullus est animi morbus periculosior, quam ira, quæ vultum, vocem, incessum sic immutat, ut idem alius esse videatur. *PLUR. in Morib.*

Sicut per nebulam corpora majora videntur, quam revera sint; ita per iram quoque omnes injuriæ majores apparent, quam in sineeri iudicii libra reperiantur. *Idem, de cohob. Ira.*

Sicut acetum corrumpit vas, si diutius ibi fuerit; sic ira corrumpit cor, si diu in eo asservetur. S. AUG. ep. LCCCVIII.

Sicut, si quod aeri nebulosum ac densum per noctem accessit, diurno calore sol nec dissolvere poterit, nec dissipare, causam ac materiam tempestatis exhibet; sic injuria, nisi per charitatem aut patientiam dissolvatur, grandem in corde tempestatem iracundiæ excitabit. S. CHRYS. hom. XIV, in *Epist. ad Eph.*

Sicut torrentes ad loca curva decurrentes secum obvia queque trahunt; sic et iratorum impetus violenti et instabiles omnia similiter percurrunt, ac obruant. BEIAL. in *Prompt. in festo SS. text. III.*

Sicut ad lapidem, ad quem quis impedit, non facile aliquis, aut certe non sine cautela accedit; ita si quis ab iracundo vel iracundia læsum meminit, deinceps consuetudinem ejus, quantum potest, delineat. Unde Sapientis suadet: Noli esse amicus homini iracundo. *PROV. XXII, 4.*

Sicut si quis phyltro te ad insaniam redi-

gere vellet, utique illud recusares, aut si inscius bibisses, mox per apta remedia expellere conareris; ita si injuriam tui quis intulit, et per eam ad iram te perducere sagat, aut repellere, aut per oblivionem aliaque efficacia media ex corde rejicere debes; nam teste Seneca, inter insanum et iratum nullum discrimen est; alter semper insanit, alter semper irascitur. *SENECA, de Ira.*

Sicut bestiam, maxime efferatur, omnes fugimus; nautæ, cum vehemens ventus spirat, vela demittunt; equi sessorem præripientes, non retrahuntur, ne vires incassum exhauriat; igni fomes non præbetur; ita nec iracundus animus magis efferendus, mutisque injuriis magis accendendus est. S. CHRYS. hom. XIII, *ad Pop.*

Sicut gubernator ventis in mari agiturus portum petit, ut a periculo liberetur; ita qui iracundiæ impetum sentit, ad rationis clavum et portum confugere debet, ne naufragium patiatur. *Idem, hom. VII, de fide Annæ.*

Sicut equis non in ipso cursu frenum injicimus, sed ante cursum; sic qui propensi sunt ad iram, prius rationibus frenandi sunt, quam ab ira abripiuntur. *PLUR. Mor.*

Sicut non utitur aqua turbata, nisi cum constiterit; sic nec animo commoto utendum, nisi cum ad se redierit. *SOCRAT. in Mor.*

Sicut flamma candelæ emunctorio compressa statim extinguitur; ita interior iræ commotio silentio et dissimulatione cohibita, paulatim elanguescit. *JAC. ALVAR. l. p. II, c. x, de Extinct. vit.*

Sicut nutrices dicunt pueris: Ne plora, et accipies; ita dicendum animo commoto: Nec clama, ne festina, ac melius quævis consequeris. *ARIST. apud Stobæum s. XVIII.*

#### MOTIVA.

Quia hoc vitium est contra naturam, uti Bellovacensis recte advertit dicens: Hoc vitium maxime videtur contra naturam, cum homo sit animal mansuetum natura, quod manifeste patet ex hoc, quod natura non armavit hominem cornibus, nec unguibus, nec dentibus, sed dedit ei minores ungues et dentes, quam alicui animali suæ quantitati, nec dedit ei rictum, sed risum. *BELLOV. Spec. l. III, p. 1 dist. 1.*

Quia ira mentis est remulencia, ut S. Basi-

lius ait, eamque a sobrietate excutit, haud aliter quam vinum. Considera mihi hominem ira peritum, quam temulentus sit eo morbo. Non est sui compos, non novit semetipsum, non novit qui adsunt, vel velut in pugna nocturna tentat omnia, impingit in omnia, inconsiderata loquitur, non potest cohibere, convitiatur, cædit, minatur, vociferatur, clamore disrumpitur. *S. BASIL. h. 1, de Jejun. laud.*

Quia iracundi multis stultitiis laborant; nam primo quidem stultus est, qui illatam injuriam appetit vindicare; quia, sicut dicit Augustinus, de aliena poena quærit sibi medicamentum, qui acquirit sibi grande tormentum, simile est quasi in aqua quæreret ignem. Stultus est insuper, quia potius vult morti corporis quandoque, animæ semper et æternæ se exponere, ut occidat, et puniat asinum inimici sui, id est, corpus, quam expectare Dominum justissimum qui ita iudicabit eum de hoste, et asino simul, quod totus mundus videns admirabitur, et satiabatur. *BELLOV. loc. cit. Et confirmans idipsum Dionysius Carthusianus: Eo ipso, ait, quod, quis iram non solum admittit, sed etiam intra se retinet, stulto assimilatur, et luce sapientiæ caret; et stultus est, non solum eo modo, quo omnis, qui in mortali est culpa, stultus asseritur; sed et tanto specialius, quo ira mentem intus magis excedit, et hominem in apparatu vultus exteriorique gestu, stulto, imo furioso facit similiorem. DION. CARTHUS. in c. VII, Eccles.*

Quia Deo difformem facit, ut idem auctor insinuat dicens: cum scriptum sit: « Tu dominator, Domine, cum tranquillitate iudicās, » ira facit hominem in iudicando specialiter Deo difformem, dum homo cum turbulentia iudicat, quod maxime indecens est. *Idem, in c. v, Job.*

Quia Spiritum S. fugat: Si enim, ut S. Climacus discurret, Spiritus Sanctus pax animæ et dicitur, et est; ira vero cordis perturbatio est, et appellatur, necessario sequitur, nihil adeo Spiritus Sancti præsentia repugnare, quam iram; non quod ipsa Spiritus Sancti substantia contristari possit, cum habeat æternam atque immutabilem beatitudinem; sed quia ita in Sanctis habitat, ut eos impleat charitate; charitas autem iræ contraria existit, atque ideo incompatibiles sunt ira et charitas, quæ primus est fructus Spiritus Sancti, ut recte Sedulius advertit. *S. CLIM. grad. VIII.*

Quia Diaboli opus est, uti S. Laurentius Justin. advertit dicens: Qui contentiosus existit, antiqui hostis in se immissiones existit, Diaboli ministerium operatur, disrumpit pacem, rixas concitat, parit odium, furorem nutrit, denigrat honestatem, sapientiam perdit, rationem confundit, oculum mentis obnubilat, gratiæ lumen repellit, fraternam dilectionem frangit, et ipsam celestem in se occidit charitatem; unde et alius quidam antiquus auctor ait: Ira placet Diabolo, quia per iram multum dominatur Diabolus homini, non enim timet homo iratus facere, quod Diabolus præcipit sibi, quantumcumque magnum sit peccatum, non parci patri, nec matri, nec uxori, nec filiis, quin quandoque projiciat eos in ignem iracundiæ. Placet ira Diabolo, quia cum hoc vitio non lucratur Diabolus unum et unum, sed aliquando totam domum, aliquando totam civitatem, et aliquando regnum. *LAURENT. JUST. c. 1, de Dist. man.*

Quia sanitatem corporis lædit, teste S. Ephrem dicente: Iracundus semper in perturbationibus vivit, animi tranquillitate ac pace, commodaque corporis valetudine carens, semper illi corpus illius contabescit, et animus angitur, caro marcescit, oboritur pallor, et mens perturbatur, sensus debilitatur, cogitationes fluminis instar scaturiunt. *S. EPHREM, l. de Vitæ Virt.*

Quia sanitatem animæ perdit; nam ut S. Chrysostomus recte dicit, nullus leo, nulla sic vipera viscera queunt laniare, ut hominis iracundia ferreis quibusdam unguibus universa confodiens; neque enim solummodo corpori nocet, sed ipsius etiam corruptum animæ sanitatem. *S. CHRYS. hom. IV, in Matth.*

Quia societatem humanam dissolvit, uti S. Petrus Damianus recte advertit, dicens: Quanta sane sit iracundiæ pestis, in hoc patenter exprimitur cum nobis iracundi hominis societas prohibetur, et quasi per antiquæ Scripturæ sententiam, quadam jam, ut ita fatear, *Excommunicatione* percussit, dum a proximorum suorum contubernio separatur; ait enim Salomon: Noli esse assiduus cum homine iracundo, ne discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ. *S. PETRUS DAM. l. IV, ep. XVII. Et idipsum confirmans Dionysius Carthus. Per iram, inquit, socialis vita confunditur, concordia dissipatur, societas aggravatur, juxta illud Prov. Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere? nam qui irascuntur, non agnoscent presentes,*

non memores sunt cogitationis, non amicitiam, non consuetudinem, non dignitatem, neque quidquam aliud in mentem accipiunt, sed iræ vi pressi, in præceptis miserabiliter feruntur. DION. CARRIUS. in c. v. *Joan.*

Quia *mutuam dilectionem tollit*; nam tales, teste Bellovacensi, tunicam Christi inconsultem nituntur dividere, quam Dominus indivisam voluit remanere; per hanc tunicam significatur charitas, in qua, et per quam unitas Ecclesie conservatur, ad quam hortatur Apostolus, *EPH. 4. Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Tales sunt directe contrarii Christo, quia Christus venit ut dispersos congregaret in unum; de Diabolo autem, vel de impio membro ejus dicitur, Joannis x: *Lupus rapit, et dispergit.* BELLOVAC. *Spec.* p. V. l. IV, disp. 1.

Quia *ad sacrificium Deo offerendum indispositum facit*; hinc S. Bernardus sequens proponit dubium: Sitne videlicet tutum ira commoto accedere ad altare, an se subtrahere interius debeat, donec compescatur commotio? et respondet: Numquam mihi contingat turbatum ad pacis accedere sacrificium, cum ira et disceptatione contingere sacramentum, in quo Deus indubitanter est mundum reconcilians sibi: certe non recipitur munus quodcumque meum, quod defero ad altare, nisi ante placato fratre, quem me forte læsisse meminero, quanto minus si me ipsum non placavero prius? S. BER. *de Præc. et Dispens.* c. XVI.

Quia *vilissimum facit hominem*, ut iterum Bellovacensis testatur, dicens: Per iram homo vilis efficitur. Magna villitas est irasci, vel contendere cum fatuo, vel ægro, aut de talibus vindicare se velle; talis autem est, qui tibi fecit injuriam injuste. Magna villitas est, pugnare cum vilibus personis, quorum pugnam abhorret nobilis animus. In quorum confirmationem, illum ex Proverbiis textum adducens subdit: Honor est homini, qui separat se a contentione. E contra villitas est, inquinare os suum contumeliis et convitiis; et quanto major est persona que irascitur, tanto vilis et indecentius est irasci. BELLOVAC. l. c.

Quia *iræ moderatio, est signum perfecti viri*, uti Sanctus Chrysostomus pronuntiavit, dicens: Hoc certissimum est signum, quo interioriter vir ratione præditus, si mansuetus fuerit, si lenis, si mitis, si modestus, et quietus, si non quasi servus ducatur, et trahatur, aut ab ira, aut ab aliis affectionibus,

sed ratione vineat internos illos incompósitos motus, nobilemque suam generositatem servet, ne in brutorum ferociam negligentia degeneret. Et ut discas, quantum mansuetudinis et lenitatis sit robur, et quod sola hæc virtus possit se colentem diligenter ineffabilibus laudibus dignum reddere, audi B. Moysen hinc potissimum prædicari, et ex hæc orationam ploeti: Moyses, inquit, erat mitissimus omnium hominum, qui erant super terram. Vidisti eorum magnitudinem quod omni eum humano generi parem pronuntiat, imo omni hominum generi præferit? S. CHRYS. hom. XXXIV in *Genes.* c. VI. Similem in modum etiam Seneca discurrens: Nullum, inquit, est argumentum magnitudinis certius, quam nihil posse, quo instigeris, accedere. Pars superior mundi, et ordinator, ac propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem, omni tumultu caret; inferiora fulminant. Eodem modo sublimis animus, quietus semper, et in statione tranquilla collocatus, intra se premsens, quibus ira contrahitur, et modestus et venerabilis est, et compositus; quorum nihil invenies in irato. SENECA. l. III, *de Ira*, c. VI.

#### ALIA MOTIVA.

Quia *hoc vitium iræ exiit hominem similitudine Dei*, qui cum tranquillitate judicet; dilaniat enim mentem, ut nec sibimetipsi congruat. S. GREG., l. V *Mor.* c. XXXI. Hinc S. Chrysostomus dixit, ferè potius cohabitandum esse, quam iracundo homini; nam illa, cum semel mansuetata fuerit, servat suam legem; hinc autem quoties mitigaveris, rursus efferatur. S. CHRYS., hom. XXIX, *ad Pop.*

Quia *Christo dissimilem facit, et quasi ex schola illius excludit*; utpote in qua non nisi mansuetudo et humilitas dicitur. Si ergo tam probrosus censetur ex aliquo gymnasio terrestri sua culpa excludi, quantum dedecus erit ex schola et gymnasio tanti Magistri ejici?

Quia *per iram, teste S. Gregorio, Sancti Spiritus splendor executur*; quoniam scriptum est: Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem et quietum? Si ergo iram quietem mentis subtrahit, suam Spiritui Sancto habitationem claudit. S. GREG. l. c.

Quia *gravissima anime damna infert*; ut

pote cui justitiam, gratiam, pacem auferit; memoriam confundit, intellectum excecet, voluntatem totam pervertit, et denique ipsam mortem tollat. Unde S. Chrysostomus: Ignis est vehemens ira, inquit, omnia devorans, nam et corpus perdit, et animam corrumpit. S. CHRYS. hom. XXIX *ad Pop.*

Quia *corpori quoque graviter nocet*. Nam, ut iterum S. Gregorius testatur, iræ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremat, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, et nequaquam recognoscuntur noti. S. GREG., l. V *Mor.* c. XXXI. Imo etiam teste S. Basilio, ob iram ensis acuitur, et mors homini ex homine venit. Membrorum mutilationes, vulnèra, mortis præmium pugna ferunt. S. BASIL., hom. x *de Ira.*

Quia *societatis humane pestis est*; utpote cujus summum bonum, et ætissimum vinculum, scilicet concordiam et socialem vitam tollit. Hinc scriptum est: Quis potest habitare cum homine, ejus spiritus facilis est ad irascendum? PROV. XVIII, 44.

Quia, ut S. Chrysostomus recte pronuntiavit: *Nihil iracundo homine insuavius, nihil gravius, nihil infestius, turpius nihil.* (S. CHRYS. hom. XXIX *ad Pop.*) Quod clarius explicans S. Basilius: Scriptura, inquit, tibi dicit: Vir iracundus turpis est. Quomodo turpis? Quia humanam quasi figuram amittit, ferè speciem indulus. Considera parumper iratum. Furit, debacchatur, immutantur oculi, turbidi, sanguineique sunt, cor accenditur, sanguis commovetur. Hunc videas ut aprum dentes acuentem. S. BASIL. hom. XXI *de Ira.* Hinc rectè Seneca infert: Qualem putas esse animum cujus externa imago tam fœda est? SENECA, l. II *de Ira*, c. 35.

#### MEDIA.

*Præmeditatio adversorum.* Ita S. Gregorius suavit, dicens: Solerter animus ante actionis suæ primordia, cuncta debet adversa meditari, ut semper hæc cogitans semper contra hæc thorace patientiæ muniatur, et, quidquid acciderit, providus superest; et, quidquid non accesserit, lucrum putet. S. GREG. l. V *Mor.* c. XXXIII. Certe inexpectata, teste Seneca, plus aggravant, novitas addit calamitatis pondus, ideo nihil improvisum esse debet; in omnia præmittendus animus, cogitandumque non quid soleat, sed quid possit accidere. SENECA, *de Tranquillitate*

*Dilatio iræ.* Ita iterum S. Gregorius suavit, his verbis: Quoties ira animum invadit mentem edoma, vinee teipsum, differ tempus furoris. S. GREG. l. c. Cum tranquilla mens fuerit, fac quod placet. Quod confirmans S. Ambrosius: Resiste iræ, inquit, si potes; eade, si non potes, quia scriptum est: Date locum iræ. Ergo si prævenit mentem tuam iracundia, ne relinquo locum tuum. Locus tuus sapientia est; locus tuus ratio est; locus tuus sedatio indignationis est. S. AMB. l. I *Offic.* c. XXI.

*Quietis et silentii usus*; ut S. Isidorus monuit, dicens: Si non potes iram vitare, tempera; si non potes furoribus cavere, cohibe; tene silentium patientiæ, tacendo citius vincis. S. ISIDOR. l. I *Sol.* Scriptum quippe est: In silentio et spe erit fortitudo vestra. ISALÆ. Idem suavit S. Basilius his verbis: Si aliquid animo pateris, saltem in te conde tristitiam. In te turbatum est cor meum, inquit Propheta, hoc est, non extra turbationem ostendi, sed veluti quamdam intra litus abruptam undam retinui. Turbatus sum, et non sum locutus. Et alibi: Si contra maledicta irascaris, jam te corroborasti. Quidnam est ira stultius? Si vero quietus et immobilis persistas, pudorem maledicenti magnum intulisti, cum reipsa prudentiam, modestiamque ostenderis. BASILIUS *de Ira.* Nam, ut etiam S. Chrysostomus dixit: Nequitiam febribus laboranti, aut gravi inflammatione quiescipi irascitur, sed his modis affecti, sui misericordiam, et lærymas movent; hujusmodi est iratus animus, qui si in teprosiliat, tace, et opportunam ei plagam infliget.

*Matura suppressio*; juxta Apostoli momentum: Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare Diabolo. EPHES. IV, 26. Nam, ut Sanctus Ambrosius ait, ira inveterascens fit odium, dum quasi justis doloris admixta dedeculo dicitur eam in vase detinet, donec totum accescat, vasque corrumpat Quapropter multo melius nec juste cuiquam irascimur; quam velut juste irascendo in alienius odium iræ occulta facilitate delabimur; in recipiendis enim hospitibus ignotis ista solemus dicere, multo melius esse, malum hominem perpeti, quam forsitan per ignorantiam excludi bonum, cum cavemus, ne recipiatur malus. Sed in affectibus animi contra est, nam incomparabiliter salubrius est, etiam iræ justa pulsanti non aperire penetratæ cordis, quam admittere non facile recessuram, et perven-

turam de sureulo ad trabem. Audet enim imprudenter crescere citius, quam putatur, non erubescit enim in tenebris, cum super eam sol occiderit. S. AMBR. ep. c.

*Propria infirmitatis consideratio.* Considerata quippe infirmitas propria, teste S. Gregorio, mala excusat aliena; patienter namque injuriam illatam tolerat, qui pie meminit, quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat et ipse tolerari. Et quasi aqua ignis extinguitur, cum surgente furore animi, sua cuique ad mentem culpa revocatur, quia erubescit sibi peccator non parere, qui vel Deo, vel proximo sepe se recolit, parcendo peccasse. S. GREG. I. V. *Moral.*

*Meditatio fedditatis.* Ita Seneca consultit dicens: Quibusdam, ut ait Sextius, iratis profuit, aspexisse speculum; perturbavit illos tanta mutatio sui. SENECA. I. II de Ira, c. XXXVI. Si enim, ut S. Gregorius Nazianzenus narrat, dea illa cantu fistulæ delectari solita, ejusdem usum detestata est, dum deformitatem in flatione resultantem in fonte forte conspexit, quidni idem ab iracundo sperandum sit, si turpitudinem vitii sui consideret? S. GREG. NAZ. *Orat.* IV.

*Mansuetudo Christi, aliorumque Sanctorum considerata;* nam, ut sapienter S. Chrysostomus advertit, quemadmodum qui laborant oculis, si spongias ac vestium cyaneo colore pannos tenentes, frequenter in ea intueantur, ex eo colore nonnullum capiunt morbi levamen; similiter et si tu Davidis (multo magis Christi) imaginem præ oculis habeas, et in hanc assidue defigas oculos, etiamsi millies obtundat ira menti, oculos perturbans, ad hoc virtutis exemplar respiciens, perfectam consequeris sanitatem, puramque animi Philosophiam ac tranquillitatem. S. CHRYS. hom. de David et Saul. Hoc enim est, quod David ait (teste Sancto Basilio): Paratus sum, et non sum turbatus. Oportet itaque motus animi insanos ac præcipites exemplo Sanctorum ac beatorum præceptorum memoria cohibere. S. BASIL. hom. xx. Hinc et Apostolus suos Hebræos animans ait: Recogitate eum, qui talem sustinuit adversus peccatores in semetipsum contradictionem ut ne fatigemini animis vestris deficientes. HEB. XII, 5. Hoc medio Sanctus Elzearius usus est, de quo scribitur, quod tametsi familiam et aulam haberet frequentissimam, quam tum ad suum servitium, tum ad justitiæ administrationem stipendio conduxerat, nunquam tamen sub-

ditis suis iratus visus fuerit; unde conjugii suæ mansuetudinem ejus admiranti respondit: Quid mihi prodest irasci? Dicam tamen veritatem. Quandoque insurgit in me indignatio in molestiis, at mox mihi ob oculos pono injurias, quas a me et pro me Redemptor tulit, et tunc in meipso sic loquor: Etiamsi famuli tui tibi barbam evellerent et colaphis cederent, oportere te tolerare; nihil enim istud est in comparatione ejus, quod Dominus pro te tulit. Hæc vero consideratio animum meum mox reddit pacatum. S. CHRYS. in Vit. c. XXIII.

*Exemplum bestiarum ante oculos habere;* nam, ut S. Chrysostomus ait: Illæ quamquam naturaliter sevant, si humana tamen arte perturbentur, plerumque mansuescunt. Tu autem, qui illarum profecto naturalem feritatem, in eam que contra naturam est, mansuetudinem sepe commutas; tuam mansuetudinem naturalem in feritatem, que natura tuæ est inimica, convertis; leonem quidem mitigas, reddisque tractabilem, furorem vero animi tui omni prorsus efficit leone sæviorem. Et certe cum ibi sint duo impedimenta vel maxima, quod fera ipsa et ratione privatur, et longe omnium alterius generis animalium excedit furorem; tu tamen de copia donatæ tibi Deo sapientiæ, ipsam superas arte naturam, qui igitur naturam vincis bestii, cur in temetipso naturæ obfascas bonum, dum malum adamas voluptatis? Itaque si, ut alium hominem mansuefaceres, juberem, nihil hic quidem impossibilem viderer imponere, quamquam excusare posses, non te esse dominum voluntatis alienæ. Nunc vero tua hæc propria fera est, et cui certissimo jure domineris. Quam igitur habes apologiam? Quemnam reperies honestum excusationis colorem, qui cum solerti studio hominem quodammodo facias de leone, tu tamen negligens leo efficiaris ex homine? S. CHRYS. hom. IV in Matth.

*Supplicium iracundi considerare.* Uti idem Sanctus suavit, dicens: Injuria affecto in mentem veniat, quod illi supplicium mæneat, et non modo nulla in proximum ira fereris, sed deplorabis vicem ejus. Idem, hom. XLVII, in Joan.

*Hostem instigantem attendere.* Uti S. Hilarius monuit: Non his irascendum est, inquit, a quibus aliqua perpetimur, sed quoties ad contumeliam ab iracundia provocamur, quotiescumque per convitia ad lites

exhortamur, agnosendus est hostis ille, per quem hæc operum et dictorum incentiva præbentur. Neque irascendum est hominibus alienæ instigationis operariis, sed potius in his detestandi officii intercessio fœda miseranda est, quod sint vasa Diaboli, Satanæ ministerium, atrocianantium telum, et alienæ malitiæ ac nequitie apparitores. S. HILAR. in Ps. CXXVIII.

*Examen conscientie quotidianum,* quod Seneca commendavit, dicens: Omnes sensus perducendi sunt ad firmitatem; natura patientes sunt, si animus illos desinat corrumpere; qui quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? Cui vitio obstitisti? Qua parte melior es? Desinet ira, et erit moderatior, quæ sciet, sibi quotidie ad iudicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? SENECA, I. III de Ira, c. XXXVI.

*Suspicionem, velut radicem, tollere;* ut idem Seneca suavit dicens: Quod accidere vides in animalibus mutis, idem in homineprehendens; frivolis turbamur et inanibus. Taurum calor rubicundus excitat, ad umbram aspis exurgit, ursos, leonesque mappa proritat; omnia, quæ natura fera ac rabida sunt, consternantur ad vana. Idem inquietis et stolidis ingenii evenit, rerum suspitione feriuntur. Idem I. III, c. XXIX.

*Humilitatis exercitium;* nam, ut S. Climatus ait: Sicut ad solis ortum fugiunt tenebræ, ita ad odorem humilitatis omnis ex animo evanescit amaritudo, et extinguitur iracundia. Superbia, existimatio et præsumptio nostri ipsius sæpissime efficiunt, quod nos offensos esse existimemus, licet in veritate offensi non simus. S. CLIM. grad. VIII. Doctor Angeliensis ait: Quidam sunt magni et elati animi, qui facile provocantur ad iram; quod ideo est, quia ira est appetitus vindictæ ex precedenti offensa proveniens; quanto autem aliquis est magis elati animi, tanto ex leviori causa se putat offensum, et ideo facilius provocatur ad iram. S. TH. in c. v Job. Hinc et S. Antoninus ait: Remedium contra iram est, tollere occasiones, videlicet dura verba, et ea quæ magis accendunt iram; est enim ira accensio sanguinis, incendum autem ignis diminuitur per subtractionem lignorum, vel infusionem aquæ. Ligna, quæ magis accendant, sunt dura

responsiones, dura verba, quæ dici non debent, sed taceri. S. ANTON. p. II *Summ.* tit. VII, c. 1, § 3.

*Opinionem contemptus tollere;* nam causa iracundia, teste Seneca, opinio injuriæ est, cui non facile credendum est, nec apertis quidem manifestisque statim accedendum. Quædam enim falsa veri speciem ferunt. Dandum semper est tempus; veritatem dies aperit; quæ inviti iudicemus, libenter credimus, et antequam iudicemus, irascimur. SENECA, I. II de Ira, c. XXII.

*Curiositatem vitare;* uti iterum Seneca suavit dicens: Non vis esse iracundus? Ne sis curiosus. Qui inquirat quid in se dictum sit, qui malignos sermones, etiamsi secreto habiti sint, eruit, se ipse inquietat. SENECA, I. III de Ira, c. XI.

#### ASCETICA.

*In primis nosse debet Asceta, quid sit delictum inter iram et indignationem,* nam, teste S. Basilio, sicut differentia nomina sunt indignationis et iræ, sic et ab ipsis significantia plurimum invicem differant. Est enim indignatio stimulus quidam brevis et subitus, acutusque passionis pavor. Ira vero permanens ac diuturna tristitia, aptaque sese otiose ulcisci, veluti libido quædam se vindicandi. S. BASIL. hom. de Ira.

*Nosse debet, quando ira peccaminosa sit;* id quod Sanctus Thomas sic explicat: Si ordinem rationis excludat, mala est; ordo autem rationis ita potest attendi, quantum ad duo. Primo quidem quantum ad appetibile, in quod tendit, quod est vindicta; unde si aliquis appetat, quod secundum ordinem rationis fiat vindicta, est laudabilis iræ appetitus, et vocatur *ira per celum*; si aliquis appetat, quod fiat vindicta qualitercumque contra ordinem rationis, puta si appetat puniri eum, qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel etiam non secundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conservatio justitiæ et correctio culpe, erit appetitus iræ vitiosus, et nominatur *ira per vitium*. Alio modo attenditur ordo rationis circa iram, quantum ad modum irascendi, ut scilicet motus iræ non immoderate ferveat, nec interior, nec exterior; quod si prætermittatur, non erit ira absque peccato. In articulo vero sequenti examinans: An omnis ira sit pec-

catum mortale? hæc statuit conclusionem : Ira, qua quis injustam appetit vindictam, peccatum mortale est; ira vero ex passione, et qua in medio vindictam expetimus, veniale est. Quam propositionem his verbis declarat: Ex genere suo ira est peccatum mortale, quia contrariatur charitati et justitiæ, potest tamen contingere, quod talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actus; quæ quidem imperfectio attenditur, vel ex parte appetentis, puta cum motus iræ prevenit iudicium rationis; vel etiam ex parte appetibilis, puta cum aliquis appetit in aliquo medio se vindicare, quod quasi nihil est reputandum; ita etiam quod si actu inferatur, non esset peccatum mortale, pãta si aliquis parum trahit aliquem puerum per capillos, vel aliquid hujusmodi. Alio modo potest esse motus iræ inordinatus, quantum ad modum irascendi, utpote si nimis ardentur irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa iræ; et sic ira secundum se non habet de suo genere rationem peccati mortalis; potest tamen contingere, quod sit peccatum mortale, puta si ex vehementia iræ aliquis excidat a dilectione Dei et proximi. S. THOM. II, II, q. cxxviii. a. 2. Cui consentiens S. Antoninus, tunc ait: Ira est peccatum mortale, quando scilicet quis appetit injustam vindictam, seu punitionem proximi notabiliter damnosam, et hoc secundum deliberatam rationem. Ex parte autem modi, quo quis irascitur interius, si ita ardentur irascitur, quod ex vehementia iræ decidat a dilectione Dei vel proximi, quod solet contingere, quando ira transit in odium, tunc esset mortale. S. ANTON. p. II, Sum. tit. vii. c. 1, § 2.

*Nosse debet duplicem esse iram: unam, quæ fit per vitium; secundam quæ fit per zelum.* Prima est, quæ fit per vitium, et de hæc inquit: « Irascimini, et nolite peccare, » id est, si primus motus iræ insurgat, nolite peccare, scilicet consentiendo in corde, vel ad effectum perducendo in opere, vel diu retinendo in mente. Quod necessitatis est, permittit, quod vero culpæ est, interdicit. S. BERNARDIN. t. III, ser. de Triplic. a. 2, c. 2. Secunda autem ira est, quæ fit per zelum, secundum enim Gregorium, l. v Moral. in fine, super illud Job, c. v. 2. *Virum stultum interfecit iracundia*: Ira per vitium oculum mentis excecavit, ira vero per zelum oculum mentis aperuit.

*Nosse debet effectus et filius iræ.* Prima

est *Rixa*; hæc est audax voluntas vindicandæ injuriam factam per se. 2. Est *Tumor mentis*; hæc est voluntas vindicandæ causa fugiens adversantem, ne cum eo colloquium habeatur, propter estimatas iniurias. 3. Est *Contumelia*, quæ est voluntas se vindicans per exprobrationem malorum. 4. Est *Clamor*, quæ est voluntas se vindicans in exaltando vocem per vituperium exprobratum, et ad aliorum aures perveniens. 5. Est *Indignatio*, quæ est voluntas se vindicans per signum molestiæ exterius declaratum. 6. Est *Blosphevia*, quæ est voluntas se vindicans per opprobrium Deo, vel Sanctis illatum. S. ALBERT. M. l. III Theol. ser. c. xvii. Alio modo eodem effectus explicat S. Basilius, dicens: Primo jaciuntur contumeliæ inter iratos, et sic durant, donec contumeliæ, sicuti sagittæ deficiunt; deinde omni contumelia per linguam consumpta, ad manus venit, et pugnam; ira namque certamen excitat, certamen vero convitium, convitium verbera, hæc vulnera, ex quibus et mortes sæpe sequuntur. S. BASIL. hom. de Ira.

*Nosse debet gradus iræ*, quos S. Augustinus sequentibus verbis indicat: Gradus itaque sunt in istis peccatis, ut primo quisque irascatur, et eum motum retineat corde conceptum. Jam si extorsit vocem indignantis ipsa commotio, non significantem aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testantem, qua feriatur ille, cui irascitur, plus est ulique, quam si surgens ita silentio premeretur. Si vero non solum vox indignantis audiatur, sed etiam verbum, quo jam certam ejus vituperationem, in quem profertur, designet et notet, quis dubitet amplius hoc esse, quam si solus indignatione sonus ederet? Itaque in primo, unum est, id est, ira sola; in secundo, duo, et ira, et vox, quæ iram significat; in tertio, tria, et ira, et vox, quæ iram significat; et in voce ipsa certe vituperationis expressio, vide nunc etiam tres reatus, Judicii, Concilii, et Gehennæ. S. AUG. de ser. in Monte, c. ix.

*Nosse debet, quomodo ira sit usurpanda*; id quod Sanctus Ambrosius sic explicat: Animus, qui est rationis compos non est suarum passionum dominus, sed repressor; neque enim fieri potest, ut facilis ad iracundiam non irascatur, sed ut ratione se temperet, indignationem cohibeat, et puniendo se revocet, sicut et Propheta nos docuit, dicens: « Irascimini, et nolite peccare: » concessit,

quod naturæ est; negavit, quod culpæ est. S. AMBR. l. de Jacob. c. 1. Quod etiam confirmans V. Beda: Duobus, ait, modis intelligi potest, aut, etiamsi irascimini, nolite peccare, id est, etiamsi surgit jam motus animi (qui jam propter peccati non est in potestate) saltem non ei consentiat ratio et mens, et quæ intus regenerata est secundum Deum, ut mente serviamus legi Dei, si adhuc servimus carne legi peccati; aut, agite penitentiam, id est, irascimini vobismetipsis, de præteritis peccatis, et ulterius peccare desinite. V. BEDA, in c. iv Eph. Et clarior S. Gregorius inquit: Cum per zelum animus movetur, curandum summopere est, ne hæc eadem, quæ pro instrumento virtutis assumitur, menti ira dominetur, nec quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata, a rationis tergo nunquam recedat. S. GREG. I. III Mor. c. iii.

*Nosse debet, quod Superiores maxime iram covere debeant*, uti Oleaster insinuat, dicens: Admonetur hoc in loco biliosi viri, non se immiscere questionibus; similiter non debere velle Prælaturam accipere, qui non potest, aut vix potest ferre peccata suorum subditorum. Non vult Dominus populum ducere, quia tanta Majestas et Sanctitas non facile ferret eorum errores; et tu, qui vix iram continere potes, audes Prælaturam subire? OLEASTER, in c. xxxiii. Exod. Hinc Seneca de Philippo scribit: Si quæ alia in Philippo virtus, fuit et contumeliam patientia, ingens instrumentum ad tutelam regni. SENECA. l. III de Ira, c. xxii.

*Nosse debet quoniam duplex est Iracundia, bona scilicet et mala*, uti S. David supra citatus indicavit, dicens: *Irascimini, et nolite peccare*: (Ps. iv, 5.) et clarior S. Gregorius dicens: Alia est ira, quam impatientia excitat; alia, quam zelus format; illa ex vitio, hæc ex virtute generatur, « quandonam bona licitæque sit ira; » (S. GREG. I. I Moral. c. xxxi.) cujus quidem dignoscenda generalem regulam assignat Gregorius dum ait: Cum per zelum animus movetur, curandum summopere est, ut ne hæc eadem, quæ pro virtutis instrumento assumitur, menti ira dominetur, nec quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata, a rationis tergo nunquam recedat. S. GREG. I. c. Tunc autem non recedat, si vitii hominis, non homini irascatur; nam ut recte dixit S. Isidorus: Ira ree a data est homini naturaliter, ad cohibendum vitia sua vel aliena,

sine mentis perturbatione, sola charitatis intentione, ne homo serviat peccatis. Hinc recte aliqui colligunt, tria esse, quæ iram inordinatam efficiunt, scilicet ferri vindicæ animo in innocentem, et a quo non sis offensus; velle ulcisci propria auctoritate; et vindicare non zelo justitiæ aut charitatis, sed odio malevolentie limitæque vindictæ excedere S. ISIDOR. l. III de Summo Bono.

*Nosse debet necessitatem et prævia iracundiæ bonæ*, quam quidem breviter, sed bene indicavit S. Chrysostomus, dum dixit: Si ira non fuerit, nec doctrina perficit, nec judicium stant, nec crimina conspiciuntur. Qui cum causa non irascitur peccat; patientia enim irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, et non solum malos, sed et bonos ad malum quodammodo invitat. Hinc Salomon ait: Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus animus corrigitur delinquentis.

*Nosse debet solidam modum propriam iram compescendi*, quem quidem pulchre S. Ambrosius sequentibus verbis indicavit: Objice, Domine, contra tam amarissimum iracundiæ malum, suavissimum Sapientiæ tuæ bonum, in quo specialiter animarum nostrarum salus collocatur, cum nobis per Evangelium dicitur: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Quia nimirum dum arcem et principatum in mente suscepit, omnes mox perturbationes compescit. Rixas et contumelias in exhortationem convertit, confusum clamorem sub ordinato silentio premit, indignationem, tumoremque mentis mansuetudine vincit, blasphemias gratiarum actione repellit. S. AMBR. Præcat. II ante Missam.

*Nosse debet radices iræ tollere*. Disceat autem easdem ex se illo, qui dixit: Ira per hos quatuor actus exurgit. Propter cupiditatem avaritiæ dandi et recipiendi, resque alienas rapiendi; et si quis propriam sententiam amans defendit; et si quis vult, se honoribus dignum esse; et si quis Doctorem se esse vult, plus omnibus sapientem esse se sperans. VITA PP. I. VII, c. vi, n. 1.

*Nosse debet modum, alienam iram pacandam*, qui quidem in duobus fere consistit. 1. Ut consilium et exemplum Davidis quis sequatur dicentis. Obmutui, et humilitatis sum, et silui a bonis. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Ps. xxxviii, 2 et 3. Sicut enim si duæ januæ adverse in eodem cubiculo apertæ sint, vehementius furit ventus; qui tamen mox

quiescit, si alterutra claudatur; ita iratus quoque cito placabitur, si alterum cedentem et silentem adverterit. Hinc recte S. Basilius suscit: Contumeliam intulit iratus, vince, amoveque silentio malum; et cogita periculum de te fieri, an Deo per patientiam adhareas, seu per iram in adversarii partes declines. 2. Ut, si loqui quis velit, pacifice loquatur et mansuete; nam responsio mollis frangit iram, teste Salomone; sicut pellis bona globo ignito superjecta vim ignis frangit. S. BASIL. hom. x, de Ira. Hinc S. Paulus monet, ut si esurierit inimicus noster, cibemus illum, potum vero eidem, si siti-verit, demus; hoc enim facientes carbonem congeremus super caput ejus. ROM. XII, 20. Carbones namque, ut vult D. Augustinus, significant urentes penitentia gemitus, quibus superbia sanatur ejus, qui dolet se inimicum fuisse hominis, a quo ejus miseriam subvenitur. S. AUG. I. III de Doctrin. Christ.

#### CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Sol non occidat super iracundiam vestram, » (EPHES. IV, v. 26.) potest ira ignitis globis, quibus in urbes coniectis incolæ expugnari solent, comparari, atque adeo in prima parte ostendi, quam merito ira ejusmodi globis comparetur, cum illi ignem undique expuant, magna vi omnia perrumpant et frangant, ingenti fragore terreant, omnia vastent, et in cineres redigant. In secunda parte ostendi potest, quomodo hi globi declinari possint; aut sine damno excipi, nimirum antecedendo per silentium, aut pelle charitatis et mansuetudinis eosdem sopiendo, et obruendo. Vide FABRICI conc. v in Dom. v. post Pent.

Ex occasione thematis: « Memorare timoris Domini, et non irascaris proximo, » (ECCLES. XXVIII, v. 8.) possunt damna iræ per venenati poculi similitudinem explicari; et 1. Ostendi, quomodo altere thominem in corpore, cruciatus gravissimos creet, ad insaniam redigat, et demum omnino violenter perimat. 2. Qualis theriaca contra hoc venenum adhiberi debeat, scilicet Passio Christi cogitata, uti S. Elzearius, Comes, et plures alii suo exemplo docuerunt. Ostendatur ergo paulo fusius, quomodo hæc theriaca in praxi adhiberi debeat. Vide Marchantium, in Tab. Sacerd. tr. VI, lect. ix.

Ex occasione thematis: « Virum stultum interfecit iracundia, » (JOB. V, 2.) potest iracundia tripliciter lanceæ comparari (qui corde, ore, et opere perficitur) qua Joab Absalonem in arbore pendentem interfecit. Ostendatur proin quomodo per iram perinde ut per illam triplicem lanceam triplex vulnus et mors, in bonis externis (puta fama, divitiis, fundis) corporis et animæ infligatur; et quomodo se quisque contra hanc lanceam triplicem triplici ære seu lorica, nempe consideratione Dei et longanimitatis, quia injurias nostras tolerat; Proximi, quia ut a Deo pro instrumento ad nos paterne castigandos adhibetur; Sui et fragilitatis propriae, quia nos armare ac defendere debeamus. Quæ fusius videri possunt apud Fabricum, conc. cit. et March. tr. c. lect. vii.

Ex occasione thematis: « Irascimini, et nolite peccare, » (PS. IV, v. 5.) potest explicari modus legitime irascendi, dicitque, quod peccatum quodvis duas habet facies, scilicet offensam Dei, et lapsum peccatoris, et secundum priorem quidem detestandum sit, non item secundum posteriorem, sicut pater castigat filium non odit. Hoc est, quod David dixit: Perfecto odio oderam illos; hoc est, nec propter vitia homines odisse, nec propter vitia homines diligere; sed quanto magis naturam hominis amas, tanto magis vitium odisse, quod naturam a te sic adamatam fœdavit.

#### ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

QUALITAS. — Postquam Jonas datum sibi a Deo ordinem de annuntiando Ninive exterminio impleset, e civitate egressus exitum præstolatus est suæ prædicationis, dicente Scriptura: « Fecit sibi umbraclucum, et sedebat subter illud in umbra, donec videret, quid accideret civitati, et præparavit Dominus Deus hederam. Et ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra, et protegeret eum. » Sed quo successu? Vermis intra noctem unicam, arborem istam arefecit, et exsiccavit, ideoque sol et ventus urens caput Prophete infestare cœperunt, ita ut pateret animæ suæ, ut moreretur, et dixerit: *Melius est mihi mori, quam vivere.* Ecce vobis resaniam hominis, non lacrymabatur, non vastæ adeo deplorabat urbis desolationem, non innumerabilis ruinam populi, sed mori petit, quia herba, quæ ipsi umbram præ-

tabat, fuerat exsiccata. Causamne nostis? Eam ipse sacer textus in principio hujus capituli præmisit, dicens: « Afflictus est Jonas afflictione magna, et iratus est, » ac furore tanto, ut etiam a Deo interrogatus: « Putasne bene irascaris tu super hederam? » Respondit: « Bene irascor ego usque ad mortem. » Ubi Sanctus Ephrem ad Jonam conversus ait: Cucurbita tibi nunc loco magistri efficitur, ex qua sapientiam et prudentiam addisce. Tugurium abjectum quaris, et urbem funditus evertis. Ubi rectum judicium tuum, o Jona? Cucurbitam civitate potiorum ducis? Super vili cucurbita commiserationis affectum ostendis, et in civitatem durissimum et severissimum te exhibes. S. EPHR. s. de Jona.

FUGA. — Seneca præclare ad fugam iræ sic monet: Num is, cui irascaris puer est? Etati donetur; nescit, an peccet. Pater est? Aut tantum profuit, ut illi etiam injuriæ jus sit; aut fortassis ipsum hoc meritum ejus est, quo offendimur. Mulier est? Errat. Jussus est? Necessitati quis, nisi iniquus, succenset? Læsus est? Non est injuria, pati quod prior feceris. Judex est? Plus illius credas sententiæ, quam tuæ. Rex est? Si nocentem punit, cede justitiæ; si innocentem, cede fortunæ. Mutum animal est, aut simile muto? Imitaris illud, si irascaris. Morbus est aut calamitas? Levius transiliet sustinentem. Deus est? Tam perdis operam, cum illi irascaris, quam cum illam alteri precaris iratum. Bonus vir est, qui injuriam fecit? Noli credere. Malus? Noli mirari. Dabit penas alteri, quas debet tibi; et jam sibi dedit, qui peccavit. SENECA. I. II de Ira. c. xxx.

S. Anselmus super ea verba: « Sol non occidat super iracundiam vestram, » discurrens sic loquitur: Noster sol Christus est, qui veritas, et sapientia, et justitia est, cujus luce anima humana illustratur; sed hanc lucem desinit mens videre, cum perturbatione iracundiæ fuerit tamquam nubilo superata, et tunc quasi occidet super iracundiam hominis sol, quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cogitationis abscondit; propter quod multum cavenda est iracundia, per quam lux veritatis amittitur, qua amissa, principes tenebrarum Diabolus locum in homine sibi invenit. Unde sequitur: « Nolite locum dare Diabolo; » Iratus enim mala cogitat, et sic se Diabolo ingerit, atque pandit, ut cogitata perficiat; pandit ostium cor-

dis, et hostem sinit introire. S. ANSEL. in c. IV, ad Eph.

Sanctus Isidorus Pelusiota, in Epistola quadam, hominem ad iram proclivem, ad mansuetudinem S. Pauli asserto hortari conatur, dum inquit: Quoniam, cum iracundia rationis, quæ aurigæ munere fungitur, habenas infringit, hominis mentem extra naturæ terminos plerumque transversam agit, ideoque Paulus hujusmodi lapsus excogitata, non modo optima, sed etiam celerrima medicina his verbis usus est: « Sol non occidat super iracundiam vestram, » hoc est, antequam sol in occasum vergat, naturam agnoscite, furorem extinguite, arrogantiam comprimitis, cognitionem, ac propinquitatem, quæ etiam feris dominantur, complectimini, ne nox interjecta morbum immediate efficiat. Nam tum Diabolus idoneum tempus nactus, ea quæ contigerunt, magis inflammat, ad ultionem irritat, ad inimicitiam extimulat, ad accusationes excitat, injuriarum memoriam parit, innumeraque hinc mala procreat. S. ISIDOR. PELUSI. I. II, ep. CLXXXIX.

Propheta Regius querebatur se arcte circumdatum ab hostibus, rogabatque ab eis liberari, inquit: « Exurge, Domine, in ira tua; et exaltare in finibus inimicorum meorum. » Ps. VII, 7. In his illud notandum, quod Propheta Dominum ad iram inflammare indignationemque ejus acere velle videtur, dicens: « Exurge in ira tua. » At videamus, quo consilio velit tam stomachosum exurgere in ira Dominum: Consumetur nequitia peccatorum, inquit ibidem v. 10, propterea ergo rogabat, ut iracundus ad vindictam erumperet, ut, dum penas inferret, auferret malitiam et scelera. Sanctus Joannes Chrysostomus hoc in illis Prophete verbis annolavit, dicens: Vide autem charitate plenam justi animam, quomodo querit, ut peccatum de medio tollatur, non ut summat penam de inimicis, sed ut inimici cessent ab improbitate. Hic vero, hic pulcher est expetende vindictæ modus, hæc sancta ira, et prudens indignatio, optare et curare, ut consumatur nequitia peccatorum, persequi peccata, ut liber evadat peccator. At qui peccatorem impetit, non peccatum, illius non est Dei ira, sed mali Demonis furor, ac rabies. Querit, ut peccatum de medio tollatur, non ut summat penas de inimicis. Hoc David, hoc quisquis justus querit; verum Diabolus facit, quod fulmen, feritque

gladium, salvam relinquit vagina. Non vult ille peccatoris emendationem, sed peccati perseverantiam. Ira Dei contra in peccatum sua spicula intorquet, non in peccatore. S. CHRYS. in Ps. 7. v. 7.

Quando S. David dixit: « Irascimini, et nolite peccare; » arripit hinc occasionem omnes Interpretes affirmandi posse esse iram absque peccato, neque hoc tantum, sed etiam nonnunquam necessarium esse irasci. Propterea Rex poenitens consultit, ut, quando aliter fieri nequit, quin irascamur, saltem citra Dei offensam id agamus. Quare alii vertunt: « Irascimini, et nolite errare. » Sed quid sibi hæc volunt? Id quod collineant in scopum dicere solemus: Vide, ne aberres a signo. Sic nunc ait Propheta: Irascimini, sed attendite, quoniam ira vestra vadat; in quem indignatione moveamini; cum enim debeatis soli succensere peccato, errabitis plurimum, si in peccatorem feratur jaculum; in vos enim sagitta resiliet. In hunc sensum ea Psalmistæ verba interpretatur Euthymius, in e. vii. Matth. dicens: « Irascimini, et nolite peccare, » hoc est, ne irascendo erretis, ira malè utentes; abuti autem ira, est succensere peccatori, cum soli peccato indignari debeamus. Ut felicem jactum faciamus, Alconem Cretensem dexterrimum sagittarium imitari debemus, cujus filium, cum draco invasisset, tanta arte direxit sagittam ut ea in vulnere serpentis deficeret, et ad filium non perveniret, simulque et illum perimeret, et hunc servaret incolumem. Refert hoc post multos alios Ambrosius Colepinus. Tantumdem agere debemus, inquit Mauritus Hilaretus, quoties proximum nostrum culpæ Draco spiris suis involutum tenet ut, quanta possumus, dexteritate in Draconem intorqueamus jaculum, proximo autem nihil offensiois adferamus. In inimicis occide errorem, sed fove charitatem, inquit ille in ser. ferie 6. post Cineres. Qui hoc fecerit, illi feliciter cadet suus jactus, proque illius merito in cœlum invehetur, quod Alconi illi Cretensi propter interemptum, illaeso filio, draconem, accidisse, apud Manilium fabulatur antiquitas. Voluerunt nihilominus veteres commenta illo significare qui ad eum modum ira uti sciat, ut peccatum configat et conficiat, peccatori autem male non velit, illum tali artificio promereri, ut in cœlo æternum beatus vivat, postquam hic vivere desit. NYSS. In vit. Abraham. l. v. n. 8.

Peracute dixit Seneca: Utendum est ira non ut duce, sed ut milite; id est, quandoquid manet consilium, et deliberatio, quæ pertinet ad ducem, nunquam debet inesse ira; postquam autem deliberatum est, ira conveniens est, sicut miles ad executionem belli. Ducis est, de futura pugna deliberare, militis vero pugnam inire, et exerere. Quod ergo ille ait: Ira ut milite utendum, non ut duce, tantumdem est, ac si dixisset: Consultationes debere esse tranquillas, pacatas, sedatas et cunctabundas, ut sunt tardi et cunctatores, cum deliberant, duces; executiones vero debere esse militum similes, quibus ira dominatur, impetusque, et præceps furor familiaris est. Re enim vera prospere, et feliciter omnia eveniunt illis, qui consultationibus utuntur ut ducibus, et ira ut militibus, qui longulum tempus dant deliberationibus, properantque perficiunt, quod morose decretum fuit. Utendum est ira, non ut duce, sed ut milite. Idem, in Phœn. l. IV, cap. v.

Stylo pereleganti descripsit Moyses Christum in persona pulcherrimi Joseph. Habebat Josephum præ oculis, sed corporis; at Christum præ oculis mentis et fidei, dum ait: « O ter maxime Joseph, quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis, cornua ejus. Pulcher est, o Joseph, pulcher, velut taurus primogenitus, levis, luxurians! Cornua tua, cornua rhinocerotis. » DEUT. XXXIII, 17. Hoc omnes demirantur. Cur enim comparando Joseph, quoad corpus taurus, non etiam comparet tauri cornibus, sed unicornis? In S. Scriptura cornu significat fortitudinem ac potentiam, quia animalibus cornutis, totum robur consistit in cornibus; sic voluit explicare quamdam Josephi prerogativam virtutis. Pulcher fuit aspectu, et quia talis, iniecit domina sua oculos in illum, quinimo ambulavit eo per plateas et vias civitatis, prospiciebant mulieres per fenestras, ejus faciei allecta venustate; hoc enim significatur per illud: Filia discurrerunt super murum; verumtamen laudat, quod ejus cornua non fuerunt, ut cornua tauri, sed ut unicornis. Hoc interest inter utrumque discernimus, quod taurus robur summum ostendit et diffundat in aere, arripens hominem, et in aere sustollit, cadentem inter cornua recipit, rursumque in aere ventilat altius, nec desistit, donec hominem in aere membratim disceperat: Nullus alius est fructus, nec aliam

speres de tauro utilitatem, quando eorum cursum intueris, præterquam luctatores, seu venatores in aere discepi, diffringi vestes, chlamydes etc, in aere, e contra robur, quod rhinoceros ostendit suo unico cornu, vergit in multorum utilitatem; illo quippe cornu venenum anfert aquarum, et illas purificat, quo animalium sitientium succurrit necessitati, ovium, vaccarum, passerum. NUZA l. I, s. n. 46.

## MISCELLANEA.

QUALITAS. — Iracundiam, qui vincit, hostem superat maximum, inquit recte Seneca, in Proverbiis. Hinc et S. Chrysostomus: Quid esse possit, inquit, hoc Propheta beatius, qui brevi temporis momento sic hostem e furore ad sobrietatem composuit, et animum nactus cordis ac sanguinis sitientem repente ad lamenta ac ejulatus composuit? Non perinde miror Moysen, quod a saxo prorupto fontes eliceret aquarum, ut admiror Davidem, quod ex oculis lapideis fontem eduxerit lacrymarum. Siquidem ille vicit naturam, ad hic vicit animi decretum; ille virga percussit lapidem, hic sermone percussit cor, non ut contristaret, sed mansuetum redderet. S. CHRYS. hom. 1 de David et Saule.

Cum aliquando Fratres quemdam in præsentia S. Antonii collaudarent, hic autem eum probans, adverteret, injuriam sustinere non posse, dixit ei: Tu quidem, o Frater, similis es edificio, quod habet ingressum ornatum, per postica tamen a latronibus impugnatur. Vita PP. de Patient. et Humil.

Quidam senex dixit: Si quis linguam suam non tenuerit in tempore iræ, nec passionem carnis suæ aliquando poterit continere. Ibid.

Henricus, Comes Holsatiæ, leoni cum rugitu et ferocia sibi obrianti interritus dixit: Quiesce, canis feroc. Qua voce consternatus leo, ad pedes ejus se prostravit, et manu apprehensus in caveam ductus est. FAB. conc. vi in Dom. 3 post Pent.

S. Augustinus semper in manu anulum gestabat, in quo cancer marinus, qui utraque manu popilionem, præcipitantiæ tyrum, gerebat, sculptus erat, quo seipsum admoneret, ne in ira præceps esset. Ib. conc. v, n. 2.

Cato Priscus aiebat, iratum ab insano nonnisi tempore distare. PLUT. in Apophi.

S. Basilii interrogatus, cur maledici di-

ligendi essent? respondit: Quia eorum opera beatitudinem illam consequimur, de qua Christus dixit: Beati estis, cum maledixerint vobis homines mentientes propter me. S. BASIL. in Regul. fuse, q. CLXXVII.

Recte cecinit Horatius:

Ira furor brevis est, animam rege, qui nisi pareat, Imperat. Hunc frenis, hunc tu compesce catena. HORAT. l. III, ep. 7.

Plato interrogatus, per quid cognoscatur sapiens? respondit: Sapiens, cum vituperatur, non irascitur; cum laudatur, non extollitur. LAERTIUS, in Vita.

DANNUM. — Quo minus presseris iram, ait Seneca, eo magis ab illa premeris. Tunc enim incipimus alii irasci, cum nobis desimimus. Finis namque iræ est initium poenitentiae. SENEC. in Proc.

S. Ephrem suavit monacho, ut potius oplet gladio invadi, quam iracundia corripit. S. EPHR. in Doctrin. de Perfect.

Ictus ab apicula ursus, ira incensus in apiarium irruit, et alvearia depopulatur. Tunc apes pleno agmine in ipsum irruunt, a quorum aculeis elapsus: Quanto satius fuerat, inquit, num pati apicula vulnus, quam tantum in me exercitum ira mea concitare! LANGIUS, in Polyant. f. 604.

## AXIOMATA.

Multum deliras si pectore concepis iras.

Res parient diras, nisi mox excluderis iras. BUCHLERUS V. eodem.

Iræ dilatio, mentis peccatio.

Hora et mora sunt prima iræ medicina.

Hinc Athenodorus Philosophus ex Cæsaris Augusti aula discessurus, ejusdem documentum petenti suavit, ut, ubi ira inflammatum se sentiret, nihil statueret, vel imperaret, donec omnes Alphabeta litteras percussisset. Quam doctrinam tanti fecit Cæsar, ut Athenodorum dimittere noluisset, dicens, eum diutius sibi necessarium esse. PLUTARCH. Vita Augusti.

Impellium animorum est cito irasci.

Cupido et Ira pessimi sunt Consultores. SALLUSTIUS, in Jugurtha.

Ira ac præcipitantiæ. Destruunt bona consilia. BIAS, apud Laert.

Tibi multa iracundia, multa quoque insanitia. SENEC. de Ira.

Iratus nemini magis nocet, quam sibi. FLORILEG. p. 2.

Potissimus iræ fructus poenitentia. Idem. Ira cædendo, non cædendo extinguitur. FLOR. p. II Ibidem.

## AUCTORES.

Joannes Buseus, in *Panario* V. eodem.  
Jacobus Marchantius, in *Horto Pastorum* Tub. Sac. tr. VI.  
Petrus Canisius, tom. III de *Just. Christ.* § 8.  
Bernardinus Rosignol. lib. II de *Discipl. Christ. perfect.* c. XVII.  
Philippus d'Outreman, in *Pædagogia Christiano*, p. I, § 7.  
Jacobus Alvarez, tom. II, de *Perfect.* l. I, p. II, c. IX et X.  
Cassianus, l. VIII de *Justit. venunt.*  
Ludovicus Granat. in *Duce Peccatorum*, l. II, c. IX.  
Josephus Langius, in *Polyanth.* V. eod.  
Franciscus Petrarcha, l. I *Dial.* CVII.  
Æneus Seneca, lib. de *Ira.*  
Mathias Faber, con. v, VI et VII in *Dom.*  
Thomas Stapletonus, text. II in *Dom.* 3 post Pent. et text. III ac VII in *Dom. Pass.*  
Joseph. Mansi, in *Bibl. Morali*, tr. LIX.

## JUDICIUM EXTREMUM.

## QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est exactio rationis super vitam ab Angelis et hominibus viatoribus institutam, de qua S. Paulus ad Hebræos dixit: Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem judicium. HEBR. IX, 27. Clarus vero id ipsum alibi indicavit dicens: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. I COR. v, 10.

DIVISIO. — Dividitur in *Particulare et Universale*; illud est, quod cuique in ipso mortis articulo subeundum est, hoc est, quod in fine Mundi instituetur. Utriusque testimonium affert S. Chrysostomus, dum ait: An non uniuscujusvis consummatio est vitæ suæ terminus? Audi Paulum dicentem: Ipsi namque exacte scitis, diem Domini ut furem

in nocte, ita venturum. Non solum communis ille, sed et uniuscujusque proprius ita veniet; iste quippe illum imitatur. Est enim et iste cognatus illi. Quod enim ille simul et summam, hoc iste per partes facit. S. CHRYS. c. v, in c. I *Thessalon.*

PARTES. — Prima pars Judicii ex *Signis* antecedentibus constituitur; de quibus jam olim Deus per Prophetam Joëlem dixit: Dabo prodigia in caelo et in terra, sanguinem et ignem, et vaporem fumi; sol convertetur in tenebras, luna in sanguinem antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. JOEL. XXI, 25. Sed et Christus de iisdem apud S. Lucam prædixit: Et erunt signa in sole, et luna, et stellis; et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et expectatione, quæ supervenient universo orbi, nam Virtutes caelorum movebuntur. LUC. XXI, 25.

Secunda pars est *Congregatio judicandorum, et Adventus Judicis*; de quibus Christus apud S. Matthæum dixit: Tunc apparebit signum Filii hominis in caelo, et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et Majestate. Et mittet Angelos suos cum tuba et voce magna; et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis caelorum usque ad terminos eorum. MATTH. XXIV, 30. Quod autem sit signum istud, explicat S. Thomas, dum ait: Signum Crucis intelligamus, ut videant juxta Zachariam, in quem pupgerunt. Apparebit autem signum Crucis ut Judæorum invercundiam confutet; adveniet enim Christus, in Judicio, non vulnera solum sed mortem exprobratissimam ostendens. S. TH. in l. c. *Matth.* Unde S. Chrysostomus ait: Apparebit Crux sole luculentior, et non opus erit accusantibus, cum Crucem viderint. S. CHRYS. LXXXVII in *Matth.*

Tertia pars erit ipsum *Examen*, de quo iterum Christus apud S. Matthæum dixit: Cum autem venerit Filius hominis in Majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem Majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. Tunc dicit his, qui a dextris ejus erunt: Venite, benedicti Patris mei, et possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi;

esurivi enim, et dedistis mihi manducare etc. MATTH. XX, 31.

Quarta tandem pars erit *Sententia prolatio* a Christo per illa verba: *Venite, benedicti, et discedite, maledicti*, indicata, post quam ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. De qua sententia jam olim Eliu locutus et confessus videtur, cum eam in Spiritu prævidisset: Super hoc expavit cor meum, et emotum est de loco suo. Audite auditionem in terrore vocis ejus, et sonum de ore illius procedentem. Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ, tonabit Deus in voce sua mirabiliter. JOB. XXXVI, 1. Cum ergo, ut idem alibi ait, vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? JOB. XXXVI.

## EX S. SCRIPTURA.

Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. II COR. v, 10.

Dixi in corde meo: Justum et impium judicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit. ECCL. III, 16.

Et vidi mortuos magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt; et alius liber apertus est, qui est vitæ; et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum. APOC. XX, 12.

Scito, quod pro omnibus adducet te Deus in judicium. ECCL. XI, 9.

Et erit in tempore illo scrutator Jerusalem in lucernis. SOPHO. II, 14.

Nolite judicare ante tempus, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. I COR. IV, 5.

Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua. PS. VC, 13.

Et tunc apparebit signum Filii hominis in caelo, et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis in nubibus caeli cum virtute multa et Majestate. MATTH. XXIV, 30. Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli. MATTH. XXVI.

Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.

Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. JOAN. V, 22.

Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo Judex vivorum et mortuorum. ACT. X, 42.

Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt. JUD. 15.

Mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis caelorum usque ad terminos eorum. MATTH. XXIV, 31.

Omnes stabimus ante tribunal Christi. Ita unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. ROM. XIV, 31.

Fugite ergo a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est, et scitote esse judicium. JOB. XII, 19.

Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium, pro omni errore, sive bonum, sive malum sit. ECCL. XII, 14.

Annuntiabunt caeli justitiam ejus, quoniam Deus judex est. PS. II, 6.

Præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo Judex vivorum et mortuorum. ACT. X, 42.

QUALITAS. — Idcirco unumquemque juxta vias suas judicabo, domus Israel, ait Dominus Deus. EZECH. XVIII, 10.

Nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique poenitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis. ACT. XVII, 30.

Nunc finis super te, et immittam furem meum in te, et judicabo te juxta vias tuas, et ponam contra te omnes abominationes tuas. Et non pareat oculus meus super te, et non miserebor, sed vias tuas ponam super te, et abominationes tuæ in medio tui erunt. EZECH. VII, 2.

Dico vobis: Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli. MATTH. XXVI, 6. Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. MATTH. XIX, 28.

Viri Ninivitarum surgent in judicio cum ge-